

1243, maig, 14

L'abadessa Berenguera de Sant Daniel firma a Guillem Escuder i a la seva esposa Maria el mas Seguer de Cassà de la Selva, per 40 sous.

ASD núm. 131, perg. mig., 160 x 175 mm, carta partida. Regest: Llibre 21; f. 93.

Sit notum cunctis quod nos Berengaria, Dei gratia Sancti Danielis abbatissa et conuentus eiusdem loci laudamus et concedimus tibi Guilielmo Escutiffer et uxori tue Marie et uestris in perpetuum totum illud mansum Seguerium qui est in parrochia Sancti Martini de Caciano apud Perles, et omnem honorem cultum et heremum eidem pertinentem, cum exitibus et ingressibus et pertinentiis et tenedonibus et terris cuitis et heremis et arboribus diuersorum generum, et cum omnibus aliis in eis habentibus eis que qualicumque modo pertinentibus, sic predictum mansum cum omnibus supradictis uobis laudamus et concedimus. Tali pacto et condicione quod uos habeatis et teneatis predicta omnia omnibus diebus uite uestre et ad obitum uestrum stabiliatis in dicto manso. unum ex infantibus uestris, et si infantes non habueritis, aliam idoneam personam ibi mitatis qui uel que sit habitator dicti mansi et racione ipsius mansi sit homo noster proprius et monasterii nostri uel femina nostra propria, et quod habitet dictum mansum et honorem. ad omnem suam uoluntatem perpetuo faciendam, saluo iure nostro et monasterii nostri in omnibus, cui dabitis de omnibus terris tascham et braciaticum de expletis, et pro censu annuatim duos solidos et .m. denarios monete quaterni et tres gallinas et quinque libras et dimidiam panis frumenti et .m. quarterias cibarie ad mensuram de Agnis et propter hanc laudacionem confitemur nos a uobis numerando recepisse quadraginta solidos barchinonenses, ualente marcha argenti .LXXXVIII. solidos, renunciando excepcioni non numerate pecunie.

Actum est hoc .II. idus madii anno Domini .MCCXL. tercio.

+Berengaria, Dei gratia Sancti Danielis abbatissa*. Sig+num Alamande de Scalis, sig+num Ermessendis de Darnils, monialium, qui hoc firmamus. Sig+num Ianuarii de Monteribi. Sig+num Raimundi Lobeti de eodem loco.

(s. man.) Ego Paschalis scripsi mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii, cum litteris suprascriptis in .X. linea et rasis et emendatis in .XI., die et anno quo supra. Ego Bernardus de Uicco, publicus Gerunde notarius, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 269-270